

tutæ difficile adscribetur. Quapropter quas Ecclesia offert indulgentias plenarias, non continuo omnes assequuntur, sed illi duntaxat, qui cum egregio fervore ac pietate ad illas obtinendas sese disposuerint.

261. *Obj. IV.* Satisfactio Christi fuit infinita, ita peccatum, pro quo satisfecit, etiam erat infinitum; ergo cum in hoc diluendo satisfactio exhausta fuerit, nihil amplius superest.

R. N. *Ant.* Meritum et satisfactio Christi fuerunt infinita simpliciter, peccati vero malitia et offensio est tantum infinita objective et secundum quid, eo quod respiciat Deum objectum infinitum. Hinc Apostolus Rom. 5. v. 13. *Non sicut delictum, ita et donum.* Et infra: *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia;* nimirum potentius fuit donum et passio Christi, quam peccatum Adami. Unde Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus*, de poenit. et remiss. scribit, unicam sanguinis Christi guttam propter unionem hypostaticam toti mundo reconciliando satis esse potuisse.

Inst. 1. Deus reddidit Christo cumulatam præmiæ pro passione: nam Philipp. 2. v. 8. dicitur: *Humiliavit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum;* ergo nihil superest, quod in thesauro Ecclesiæ recondatur.

R. N. *Cons.* Nec meritum Christi exhaustum fuit gloria corporis et exaltatione nominis, aut donis gratiæ et gloriæ in homines collatis, cum fuerit infinitum. Passio autem in quantum satisfactoria, ipsi, qui peccare non poterat, nihil profuit, sed tota hominibus reservabatur.

Inst. 2. Si Christi satisfactio est infinita, ergo superflue sunt Sanctorum satisfactiones.

R. N. *seq.* Licet Sanctorum satisfactiones non sint absolute necessariae, utiles tamen sunt ad satisfaciendum: nam Christi satisfactio habet se ut causa universalis ac præcipua, satisfactiones autem Sanctorum tanquam causæ particulares in virtute Christi ad effectum indulgentiarum quodammodo concurrunt.

262. *Obj. V.* Indignum Christo est, infinitis ejus satisfactionibus modicas Sanctorum satisfactiones adjici, quo Sancti etiam præter Christum vocari possent nostri redemptores.

R. N. *Assert.* Si non erat indignum majestate Verbi humanæ naturæ hypostaticæ uniri, cur indignum sit, satisfactionibus ipsius Sanctorum quoque satisfactiones adjici? atqui aliis etiam in causis divinæ majestati rationes et actiones humanas adjunctas fuisse legimus citra indignitatem. Exodi 14. v. 31. *Israelitæ crediderunt Domino et Moysi servo ejus.* 4. Reg. 19. v. 34. ait Deus: *Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum.* Act. 13. v. 28. scribunt Apostoli: *Visum est Spiritui sancto et nobis.* 1. Cor. 3 v. 9. Paulus se cum Apollo, *Dei adjutores* appellat: et alios titulos et officia de se prædicat, quæ Deo et Christo propria videntur.

Quod si Christi precibus nihil indignum committunt Christiani pro aliis precando, neque satisfactionibus Christi fiet injuria, si quisque justus pro reatu proprio aut alieno satisfecerit: nimirum satisfactiones nostræ omne suum pretium ac vigorem ex Christi meritis et gratia nanciscuntur: ac si quæ sunt residuæ, tantum secundario et per accidens ad thesaurum Eccle-

siæ concurrunt, qui primario ac essentialiter ex Christi satisfactionibus constat. Unde etiam apparet, cur solus Christus proprie et absolute Redemptor nosler dici queat: hic enim solus nos sua morte liberavit a peccato, quo captivi tenebamur, et omnem vim merendi ac satisfaciendi præstat.

Inst. 1. Sancti receperunt jam superabundantem mercedem laborum suorum. Luc. 6. v. 38. *Mensuram bonam, et confertam et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum,* et Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam;* ergo.

R. N. *Cons.* Merita quidem Sanctorum superabundanti præmio compensantur: at satisfactiones, quæ non indigebant, in communi Ecclesiæ thesauro conduntur.

Inst. 2. Nihil Sancti fecerunt aut passi sunt boni, ad quod non tenebantur, secundum illud Luc. 17. v. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus;* ergo nihil superest, quod aliis communicent. Nam et prudentes virgines, Matth. 25. v. 9. responderunt fatuis: *Ne forte non sufficiat nobis et vobis.*

R. N. *Cons.* Christus ibi de sola observatione præceptorum loquitur, qua nemo debet gloriari; Deum enim illa nihil juvat, Job. 22. v. 3. *Quid prodest Deo; si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?* Multa tamen fecerunt et pertulerunt Sancti, quæ præcepta non erant, quas satisfactiones pro reatibus propriis non necessarias Ecclesiæ thesauro reliquerunt. Virgines prudentes non loquuntur de satisfactione, sed de oleo gratiæ et caritatis habitualis, quod uti ad salutem cuilibet est necessarium, ita nemo in alterum potest effundere.

Inst. 3. Si etiam ex justorum satisfactionibus indulgentiæ conferunt remissionem poenæ; ergo ex eorumdem Sanctorum satisfactionibus, Missæ sacrificium et sacramenta dicentur talem remissionem præstare.

R. N. *seq.* Convent plane, ut sacrificium Missæ et sacramenta, ceu primaria christianæ Religionis fundamenta, ante ullius Sancti merita a Christo capite instituerentur, et ex illius solius influxu vim omnem et efficaciam participarent. At collatio indulgentiæ, cum non sit actio sacramentalis, sed exercitium ministerii ecclesiastici pendens a potestate clavium, mutuae caritatis officia ad exhibendam satisfactionem non respuit.

Inst. 4. Pontifex sine expensione thesauri satisfactionum Christi et Sanctorum dispensat in votis; ergo etiam per potestatem a Christo sibi traditam potest proxime remittere poenas, quin thesaurum illum aperiat.

R. N. *Cons.* Justitia vindicativa non exigit pretium, quo votum tollatur, exigit vero pro expungendo reatu poenæ, quam nequit immediate solvere Pontifex; sicut nec culpam sine sacramento remittere.

ARTICULUS III.

CONDITIONES AD DANDAS ET LUCRANDAS INDULGENTIAS REQUISITÆ.

263. *Dico I.* Indulgentiæ debent a legitimo dispensatore, justis de causis, et aliquo signo externo concedi, alioqui nullæ erunt.

1°. Opus est legitimo dispensatore, cujusmodi sunt summus Pontifex, qui

potestatem universalem a Christo in Petro accepit : deinde Episcopi, qui et ipsi potestate ordinaria, sicut absolvunt a peccatis, ita indulgentias largiuntur : neque enim hæc eis potestas ex speciali commissione defertur, sed jure communi annexa est ipsorum dignitati, ut decenter suo munere fungantur. Quanquam hæc facultas ipsorum non sit adeo generalis : unum enim tantum annum concedere possunt in die dedicationis Ecclesiæ, et quadraginta dies in casibus aliis : neque possunt eas largiri defunctis, aut non subditis suis, eo quod nullo jure id exprimatur. Suis tamen subditis etiam extra dioccesin suam illas possunt impertiri, c. *Cum ex eo* et c. *Nostro*, de pœnit. et remiss.

Abbatas, Parochi, et Sacerdotes alii Episcopis inferiores jure communi non possunt concedere indulgentias, sed solum ex commissione Pontificis et Episcoporum, c. de *Excedentibus*, de excessib. Prælat.

Panormitanus, Felinus, Dom. Sotus, Navarrus et Cordubensis existimant, Concilium generale posse concedere indulgentias : negant alii, eo quod Concilium generale, secluso Papa, non papalem, sed episcopalem potestatem habeat : quod vivente Pontifice probabilius videtur, non item Sede Pontificia vacante.

2^o. Dicitur : *justis de causis*, iisque distinctis a remissione pœnæ : has enim prorsus requiri fatetur Clemens VI. in extravag. *Unigenitus*, et Leo X. in sua decretali ad Cajetanum ait, se nullam potestatem habere concedendi indulgentias sine legitimo motivo. Ratio etiam manifesta id suadet : nam dominus non habet ratas profusiones a ministris prodigis factas ; Apostoli autem dicuntur, *ministri Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*. 1. Cor. 4. v. 1. Quapropter si motivum non sit æquale indulgentiis, vel hæ erunt nullæ, vel solum proportionatæ motivo.

3^o. Dicitur : *signo externo* ; nullus enim actus jurisdictionis exercetur sine signo externo sufficienter indicante voluntatem superioris. Unde patet, ne quidem solo dissensu Pontificis interno revocari indulgentias semel concessas posse.

264. *Dico II.* Ut quis indulgentiam sibi lucretur, debet esse vivens, viator, rationis compos, baptizatus, in statu gratiæ, et opus injunctum omnino explevisse.

1^o. Debet esse *vivens* et *viator* : nam qui pro se indulgentias lucratur, fere semper opus aliquod injunctum exsequitur : mortuis autem nullum opus injungi potest : igitur nullas pro se indulgentias lucrari possunt. Nihilominus cum summus Pontifex habeat plenitudinem potestatis ad dispensandum Ecclesiæ thesaurum etiam non subditis, infallibiles indulgentias concedit fidelibus defunctis, sed tantum per modum suffragii et solutionis. Qua de re licet veterum aliqui dubitasse videantur, sententiam suam tamen revocant. Nec quisquam sine nota hæreseos jam contradicere posset post Xysti IV., Leonis X., et aliorum Pontificum editas Bullas.

2^o. Debet esse *rationis compos* : nam usu rationis destitutus tantum speciatim annuente Pontifice, per alium præscripti operis exsecutorem lucrari indulgentias potest.

3^o. Opus est, ut sit *baptizatus* : quia Catechumeno nequit Ecclesia per

modum absolutionis largiri indulgentias ; sed tantum per modum suffragii, cum in illum exercere jurisdictionem nequeat.

4^o. Debet *in statu gratiæ* esse : peccator enim frui aliena satisfactione non potest, ut Art. 1. docuimus. Excommunicato non vult Ecclesia hoc beneficium impertiri, licet forte gratia divina præditus esset.

5^o. *Opus injunctum explendum* est : nam cum hac conditione conceduntur indulgentiæ.

6^o. Dictum est, *ut quis sibi lucretur indulgentias* : Nam status gratiæ non exigitur in eo, qui alteri indulgentias lucrari cupit : peccatum enim ejus, qui opus injunctum exsequitur, indulgentias impedire nequit alii conferendas, qui peccati expers, et satisfactionis alienæ percipiendæ capax est.

Navarrus et Cajetanus insuper intentionem lucrandi indulgentias gratis requirunt, cum id Pontifices non exigant.

265. *Obj. I. cont. 1^{am}. concl.* Abbates et præpositi Ordinum exercent jurisdictionem in suos Religiosos, faciuntque extraneos aliquando participes meritorum et satisfactionum suæ familiæ. Sacerdotes etiam virtute clavium in Pœnitentiæ tribunali exercent jurisdictionem, et aliqua pœnæ temporalis parte confessos liberant ; ergo et isti habent facultatem largiendi indulgentias.

R. *N. Cons.* Potestas concedendi indulgentias pertinet ad forum externum Ecclesiæ, ipsaque concessio indulgentiarum est actus jurisdictionis, quo relaxantur pœnæ temporales a jure vel ab homine dictatæ, atque idoneæ non tantum ad exemplum et correctionem publicam, sed etiam ad satisfaciendum pro reatu apud Deum residuo. Præfecti autem ordinum jurisdictionem tantum in suos habent quoad disciplinam vitæ regularis ; ergo illis publicas et solemnes indulgentias elargiri non possunt, ac multo minus externis, in quos nullam jurisdictionem habent : nam communicatio illa meritorum sui Ordinis non fit virtute clavium, sed tantum conceditur per modum impetrationis ac suffragii. Quanquam autem sacerdotes cæteri virtute clavium in Pœnitentiæ sacramento aliqua pœnæ temporalis parte confessos eximant, hanc tamen jurisdictionem exercent tantum in foro interno ac secreto, non vero in foro externo et publico Ecclesiæ, ad quod potissimum spectat largitio indulgentiarum : nam quod in tribunali pœnitentiæ minus injungunt sacerdotes, expiandum adhuc pœnitenti restat per opera pœnalia, ut habet Bellarminus L. 4. de Indulg. c. 11.

266. *Obj. II.* Valida est actio, qua indigno sine legitima causa beneficium Ecclesiasticum confertur ; ergo etiam quando conferuntur indulgentiæ sine legitima causa extrinseca.

R. *N. Cons.* Ecclesia ratam habet illam beneficii collationem, ut caveatur variis incommodis aliqui secuturis. Nullum autem sequeretur incommodum, si indulgentiæ sine causa justa concessæ nullæ sint : imo si valerent, gravia orirentur incommoda, quia homines tantæ impunitatis fiducia facilius in peccata ruerent.

Inst. 1. Ad redimendam culpam sufficit indigentia pœnitentis ; ergo eadem indigentia sufficiens est ratio ad remittendam per indulgentias pœnam.

R. *N. Cons.* Peccator non potest liberari culpa nisi contritione et confes-

sione, quæ cum ex se sint actiones laboriosæ, et adjunctam satisfactionem habeant, a peccatis futuris deterrent pœnitentes: at indulgentiæ non sunt ita necessariae, quia pro pœnis satisfacere unusquisque potest. Hinc ne in civilibus quidem largitiones laude dignæ essent, si indigentibus ansam desidiæ et proclivitatibus in vitia præberent.

Inst. 2. Si ad concedendum indulgentias æquale his motivum requiratur, ergo irritæ erunt concessiones fere omnes indulgentiarum, cum pleræque adjunctas preces exiguas aut eleemosynas habent.

R. N. seq. Æqualitas motivi non tam petitur a bonitate actus, qui imperatur, quam a bono, quod per indulgentias obtineri posse speratur: cujusmodi esse potest fervor Ordinis Religiosi instaurandus, pax Christianorum, conversio Infidelium, Sancti cujusdam veneratio, aliudve publicum vel privatum bonum distinctum a remissione pœnæ indulgentias lucranti obventura: imo cum ex indulgentiis tanta Dei gloria, quanta ex satisfactione ipsa, speratur.

267. *Obj. III. cont. 2^{am}. concl.* Si ad lucrandum indulgentias status requiritur gratiæ; ergo si opus injunctum plures hebdomadas duret, sæpius confitendum esset ei, qui interea peccaret.

R. N. seq. Sufficit opus ultimum præstari in statu gratiæ, quando indulgentiæ aut jubilæi gratiæ sunt obtinendæ: nec enim Pontifex exigit, ut opus quodlibet in statu gratiæ peragatur; sed lege Dei ita sancitum est, ut nemo capax remissionis pœnæ sit, qui non fuerit in gratia. Utrum indulgentiæ reviviscant; incertum est. Neque par ratio peti a sacramentis potest: nam secundum S. Thomæ doctrinam, nullum horum, quod characterem non imprimat, reviviscit. Qui culpa mortali vacat, confiteri non tenetur: nam dum Pontifex ad indulgentias obtinendas confessionem exigit, de confessione solorum lethalium a Doctoribus explicatur. Imo si facta legitime confessione in peccatum mortale recideris, confiteri iterum non teneris, modo ultimum opus vere contritus peregeris. Quod potissime dicendum, quando finis a Pontifice intentus obtineri potest, etiamsi actio præscripta in peccati mortali statu peragatur: ut est ædificatio Ecclesiæ, sublevatio pauperum, repressio Paganorum, recuperatio terræ sanctæ.

268. *Obj. IV. S. Thomas in 4. d. 26. q. 1. a. 30. docet, indulgentias tantum valere, quantum sonant; modo ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis caritas, et ex parte causæ pietas; ergo non opus est executione operis per Bullam injuncti.*

R. N. Cons. Ideo præscripti operis executionem non adjicit S. Doctor, quod opus novum injungi non sit absolute necessarium, quandoquidem propter opus præteritum indulgentia dari potest.

ARTICULUS IV.

VARIÆ DIVISIONES INDULGENTIARUM ADDUCUNTUR.

269. *Dico I.* Indulgentiæ ratione subjecti, cui alligantur, aliæ sunt locales, aliæ reales, aliæ personales.

1°. *Locales* dicuntur indulgentiæ, quæ templo, sacello, altari, aliive loco sacro affiguntur, ut, quicumque illa ingressi fuerint, aut visitaverint, et præscriptas preces vel opera præstiterint, illas adipiscantur.

2°. Interdum addicuntur alicui grano, rosario, cruculæ, imagini aliive rei sacræ, unde *reales* appellantur.

3°. Interdum tribuuntur personæ, quoties illa v. g. sacrum fecerit vel audierit, visitaverit infirmos aut captivos, quam ob causam *personales* nuncupantur. Tres istæ indulgentiarum species, quia sine temporis determinatione subjectis suis affixæ sunt, vocantur *perpetuæ*: nam quæ conceduntur definito spatio temporum, quo solum percipi queunt, dicuntur *temporariæ*: ut cum pro iis lucrandis determinantur viginti quatuor horæ, hebdomas una et altera, vel annus integer, ut in jubilæo. Si generatim dicatur, concedi indulgentias in mortis articulo, quin exprimat, in *vero articulo mortis*, probabilius etiam obtinentur in articulo mortis præsumpto, quamvis mors revera tum non sequatur.

270. *Dico II.* Ratione effectus dividuntur indulgentiæ in partiales et totales.

Ratio est. Effectus proprius indulgentiarum est remissio pœnæ; ergo si juxta limitationem concessionis, pars tantum pœnæ remittatur, erunt indulgentiæ tantum partiales: si vero citra exceptionem omnis reatus tollatur, ut nihil pœnæ luendum supersit, erunt totales et plenariæ.

1°. Indulgentiæ partiales aliquæ sunt tot dierum vel annorum, significantque remissionem pœnitentiæ, quæ peragenda fuisset tot diebus vel annis secundum Ecclesiæ ritum: nam in primitiva Ecclesia solebat imponi pœnitentibus, ut feria 2. 4. et 6. jejunarent, ut abstinerent a balneo, equitatione, sacra communione, etc., prout ex TERTULLIANO L. de Pœnit., Conc. Triburiensi Can. 34. (Labb. t. 9. p. 458. D.) et ex L. 19. Burckardi constat.

Quadragesimæ indulgentia significat remissionem pœnæ, quæ quadragesima continuatis diebus in jejuniis et aliis laboriosis operibus agenda fuisset. Quod si pœnitens tempus istud in solo pane et aqua transigere debebat, *carena* dicebatur ob carentiam fere omnium ciborum, qualis præmitti solebat pœnitentiæ septenni, ut auctores nuper citati testantur.

Indulgentia, qua pars aliqua, v. g. tertia aut quarta peccatorum donatur, significat, remitti pœnitentiam, quæ pro tanta parte pœnæ peccatis debita fuisset peragenda.

2°. Legitur aliquando indulgentia plena, plenior, plenissima. Suaresio disp. 50. sect. 4. num. 7. videtur verbis istis æqualiter significari indulgentia totalis; gradus autem comparationis, putat addi ad majorem rei declarationem, et ad tollendos scrupulos, qui ex variis opinionibus possent oriri.

Sotus ait, indulgentiarum prædicatores exaggerationis causa illam gradationem invenisse.

Quidam plenam ad solam pœnam peccatis mortalibus debitam referunt : pleniore, aiunt, remitti adhuc pœnas venialibus decretas : plenissima vero etiam culpas veniales indulgeri.

Probabilius videtur Bonifacius Papa, qui in extrav. *Antiquorum*, de pœnit. et remiss. primus vocibus illis usus est, indulgentiam plenam retulisse ad remissionem totius pœnitentiæ injunctæ a sacerdote : plenior, ad remissionem pœnæ totius secundum canones injungendæ; plenissimam, ad remissionem omnis pœnæ, quæ a divino judicio exigi posset.

3º. Inter plenarias indulgentias eminet Jubilæum, hebraice *ioubal*, quod ipsis significabat annum quinquagesimum remissionis, in quo agrorum cultura quiescebat, et venditæ possessiones prioribus dominis restituebantur, ut legimus Levit. 25. et 27. et Num. ult. Unde Isaia 61. v. 2. et c. 63. v. 4. translata est illa vox ad significandum tempus evangelicæ Legis, quod per annum Jubilæi Hebræorum significabatur. Idem vocabulum nobis exprimit annum secularem, quo maximæ indulgentiæ Romæ conceduntur : qui quidem initio fuit annus centesimus, quando a Bonif. VIII. anno 1300. magnum illud Jubilæum primo Romæ celebrabatur. Postea anno 1350. a Clem. VI. revocatum fuit ad annum quinquagesimum. Denique a Xysto IV. anno 1425. ad vigesimum quintum annum est arctatum.

Quamquam autem amplissima hæc Jubilæi remissio non differat ab indulgentiis plenariis quoad effectum primarium remissionis omnium pœnarum, tres tamen præcipuas prærogativas habet. Nam primo motivi certitudine vulgares omnes indulgentias superat : secundo ratione solemnitatis et consensus totius christiani populi : tertio propter privilegia plurima ; videlicet quod possit quilibet per quemvis confessarium ab Ordinario approbatum ad excipiendum confessiones absolvi a casibus reservatis, et in plerisque votis dispensationem obtinere.

In lucrando autem Jubilæo quatuor potissimum observanda sunt, nempe executio operum injunctorum, eorum commutatio, absolutio a reservatis, et tempus, quo beneficium istud est acquirendum, quorum omnium explicatio Theologis moralibus incumbit.

271. *Obj. I.* Si quis indulgentias, queis Pontifex dimidium pœnarum remittit, bis lucratus fuerit ; vel totus pœnæ reatus tunc donabitur, vel tantum dimidium partis dimidiæ, quæ superfuerat a prima acquisitione indulgentiarum. Si primum, ergo falsum dixit Pontifex, tantum dimidiæ pœnæ remissionem datum iri : si secundum, ibitur in infinitum ; cum dimidium residui semper in duas partes dimidias dividatur, quarum altera novis ejusmodi acquisitionibus indulgentiarum expungi possit.

R. N. 1^m. *seq.* Quod residuum est pœnarum non æstimaretur tunc ut totum, sed ut dimidium totius quod extabat, cum indulgentiæ primum acquirebantur.

272. *Obj. II.* Non est credibile, aliquem 48000. annorum in purgatorio fore ; ergo gratis ad tot annos sæpe conceduntur indulgentiæ.

R. N. *Cons.* Formulæ concessionum tantum indicant, tolli pœnas purgatorii, quæ tollerentur per pœnas ecclesiasticas tot annorum, statutas a SS. Canonibus, et temperandas pro fervore pœnitentium.

CAPUT VII.

DE PŒNITENTIA PUBLICA.

ARTICULUS I.

RITUS ET INSTITUTIO PŒNITENTIÆ PUBLICÆ.

273. *Nota I.* Christiani olim in duos ordines discescebantur, in catechumenos et fideles. Catechumenorum quidam erant audientes, qui conciones quidem auscultabant, baptismum autem nondum petierant ; alii e contra catechumeni, qui baptismum jam expetierant, dicebantur electi et competentes.

Fideles dividebantur in tres classes, quarum primam constituebat Clerus, ad quem omnes Ecclesiastici pertinebant : secundam Laici, qui communi nomine fideles nuncupabantur : tertiam Pœnitentes, qui etsi fideles essent, tamen ob crimina a cæteris fidelibus segregati, et quasi in sententiam Ecclesiæ rejecti peculiari nomine censebantur. Nomine autem Pœnitentium soli illi intelliguntur, quibus pœnitentia publica, eaque solemniter imperabatur. Nec enim omnis pœnitentia olim publica erat, sed dabatur etiam pœnitentia privata et occulta, quando peccatum clam commissum soli sacerdoti detegebatur, et satisfactio ita privatim et occulte peragenda injungebatur, ut ex ea crimen aliis innotescere non potuerit ; ut constat ex epist. 80. (al. 168.) S. Leonis ad Episcopos Campaniæ.

Nota II. Pœnitentia, quam Gratianus c. *Nihil prodest*, de Pœnit. d. 3. et Magister in 4. dist. 14. solemnem ; S. AUGUSTINUS epist. 54. (al. 153. ad Macedonium) humillimam, S. AMBROSIIUS et Patres alii simpliciter publicam nominant, pluribus ex capitibus differt a pœnitentia publica non solemniter. Nam 1º. pœnitentia solemniter ob aliqua tantum crimina publica et enormia indicebatur, nempe ob idololatriam, homicidium et fornicationem ; quibus S. Gregorius Neocæsariensis in epistola canonica adjungit furtum in cives, barbarorum incursione afflictos et fugitivos, admissum. 2º. Pœnitentia solemniter semel tantum in vita concedebatur. Quod si quis deinceps iterum in ejusmodi crimina relaberetur, licebat ei quidem conventui Ecclesiæ et sacrificiis adesse, non autem communicare de corpore Christi, nisi in mortis articulo ; ut refert Syricius Papa epist. 1. c. 5. (Lab. t. 2. p. 4019. B.). 3º. Pœnitentia solemniter non injungebatur Clericis majoribus, neque conjugato cuiquam, nisi ex consensu conjugis alterius, et raro juvenibus aut mulieribus. 4º. Solemniter pœnitentia imperari a solo